



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 1. Qualis sit Obligatio Sigilli?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

## §. I.

## Qualis sit Obligatio Sigilli ?

186. Sigillum Confessionis obligat ex duplici præcepto, Justitiæ nimirum & Religionis. Unde frangens Sigillum ordinariè committit duo peccata specie distincta, quorum unum est contra Justitiam, & obligat ad compensationem damni, si quod inde est alicui illatum. Alterum est contra virtutem Religionis, quia ad ejus materiam observatio Sigilli refertur per præceptum Ecclesiasticum & Divinum, ut constat ex *num. preced.*

Dixi *ordinariè*, quia juxta aliquos vel omnino non, vel non graviter peccatur contra Justitiam revelando 1. id, quod extra confessionem non posset obligare ad secretum, ut sunt damnosa Reipublicæ &c. Vasq. apud Lugo *Disp. 23. n. 16.* vel 2. id, quod quis confessus est Sacerdoti invito, & nolenti audire, ut indicat Lugo *l.c. n. 44.* vel 3. quod pœnitenti non est ullo modo damnosum, sed valde utile, ut reveletur, v.g. venefico, cui Judex vitam donare paratus est, si Confessarius testetur, eum cum dolore confessum esse suum veneficium. vel 4. id, quod jam antè est omnibus publicè notum, & maximè si simul etiam sit iis æquè certum. Dicast. *cit. Disp. 12. n. 102. & 105.* vel 5. cum ipso tantùm pœnitente extra confessionem de ejus peccatis agendo.

Quòd autem nihilominus in prædictis casibus juxta communem certò, & in secundo saltè probabiliter per revelationem sine licentiâ pœnitentis factam, adhuc graviter peccetur contra virtutem Religionis, est hæc Ratio, quia Sigil-

lum, ejusque obligatio est introducta proximè quidem & immediatè in favorem pœnitentis, primariò tamen & principaliter in honorem & reverentiam Sacramenti. Fagund. *Præc. 2. lib. 6. cap. 1. n. 17. & 21.* ergo revelatio in allatis casibus et si sit vel omnino non, vel saltè non graviter injuriosa pœnitenti, est tamen adhuc graviter injuriosa Sacramento; nisi enim fiat cum licentiâ pœnitentis, semper reddit Sacramentum odiosum, & fidelibus noxium atque horribile.

187. Unde obiter, sed tamen clarè deducitur, quòd nihilominus pœnitens, si sponte suâ velit, liberè possit Confessario licentiâ dare, confessâ peccata revelandi, juxta communiorem S. Thomæ & aliorum apud Dian. *p. 5. rr. 11. Res. 10. & Laym. cit. cap. 14. n. 14.* contra multos, & graves DD. alios apud Fagund. *l.c. n. 16.* Ratio, quia per revelationem cum licentiâ pœnitentis factam non redditur Sacramentum aliis odiosum aut horribile, ergo etiâ nihil per eam derogatur honori Sacramenti, bono publico Ecclesiæ, Jurinaturali, aut divino; ergo pœnitens, si velit, potest licentiâ dare. Et in hoc est dispar ratio cum Clerico. Nam iste per suam licentiâ & consensum facere non potest, ut læsio, quam ipsi contra Jus aut privilegium clericale alii inferunt, non sit adhuc ordini & statui clericali probrosa, & injuriosa. Coninch. *cit. Disp. 9. n. 22.* Reginald. *l. 3. n. 56.* Dicast. *l.c. n. 73.*

## §. II.

## Sigilli obligatio quanta sit ?

188. Fractio Sigilli quoad malitiam contra Justitiam potest esse peccatum veniale